



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**R. D. Magistri Petri Lombardi Novariensis Episcopi  
Parisiensis. Sententiarvm Libri IV. quibus vniuersæ  
Theologiæ summa continetur**

**Petrus <Lombardus>**

**Mogvntiæ, 1632**

Quare lex dicitur comprimere manum non animam. A

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38829**

tum in fractione sanctarum imaginum. Sed per-  
iurium dicitur tale iuramentum non obseruatum  
& peierare dicitur qui non impleret, quod falsum iurat,  
non quia inde reus sit, quod non obseruat, sed quia  
iurauit iniustum, ex quo reus est sicut ille qui peierat.

*De eo qui verborum calliditate iurat.* K

*Isid. l. 2. c. 33.  
de summo  
bono ad fin.*

Hoc etiam sciendum est, quod quacunque arte  
verborum quis iuret, Deus tamen, qui conscien-  
tia testis est, ita hoc accipit, sicut ille cui iuratur  
intelligit. Dupliciter autem reus sit, qui & nomen  
Dei in vanum assumit, & proximum dolo caput.

*De illo qui cogit aliquem iurare.* L

*August. De  
verbis Iaco-  
bi Apost.  
serm. 28.  
in tom. 10.*

Quæritur etiam, si peccat, qui hominem iurare  
cogit? De hoc Aug. ait, Qui exijt iurationem, mul-  
tum interest, si nescit illum iuramentum falsum,  
an scit. Si n. nescit & ideo dicit. Iura mihi, vt fides ei  
sit: non est peccatum, tamē humana tentatio est. Si

*Aug. serm.  
II. de sanctis  
qui est secun-  
dus de festo  
decolla. S.  
Ioan. Bapt.  
tom. 10.  
in fine.*

vero scit eum fecisse, & cogit eum iurare, homicidia  
est. Idē. Qui prouocat hominem ad iurationem, &  
scit eum falsum iurare, vincit homicidā: quia ho-  
micida corp<sup>9</sup> occisurus est, ille animam, imo duas  
animas, & eius quem iurare prouocauit & suam.

*Ex concilio Aurelianensi.* M

*Borchard.  
cap. 13. lib. 12.  
& Ioā. Car-  
montē. ca. 70  
patris 12.  
de rectorum.*

Sancta synodus decreuit, nisi pro pace faciendā,  
vt omnes fideles ieiuni ad sacramenta accedant.

DE SEXTO ET SEPTIMO PRAECEPTO  
*secundae Tabulae.*

DISTINCT. XL. A

SExtum praeceptum est. Non desiderabis vx-  
orem proximi tui. Septimum est, Non concupi-  
scas domum proximi tui, non seruum non ancil-  
lam &c. Sed videtur praeceptum de non concupi-  
scendis rebus proximi vnum esse cum eo, quod di-  
citur, Non furaberis: & praeceptum de non con-  
cupiscenda vxore, vnum esse cum eo, quod dicitur,  
Non moechaberis. Poterat enim praeceptum non  
furandi in illa generalitate intelligi, vbi de non

conest

concupiscenda re proximi præcipitur: & in eo quod dictum est. Non mœchaberis, poterat illud intelligi. Non concupisces vxorem proximi tui. Sed in illis duobus præceptis non mœchandi & non furandi, ipsa opera notata sunt & prohibita: in his vero extremis, ipsa concupiscentia: multum ergo differunt illa ab istis. Vnde illi præcepto non mœchandi, fit superaditio in Euangelio: vbi omnis concupiscentia mœchandi prohibetur. Sed cum hic prohibeatur concupiscentia alienæ vxoris, & alienæ rei: quare dicitur lex cōprimere manum & non animum? Illud de lege dicitur secundum ceremonialia, non secundum moralia: Vel quia in lege non est generalis prohibitio omnis mortiferæ concupiscentiæ, vt in Euangelio.

*Quid sit litera occidens.*

B

Si vero quæritur. Quam dicat Apostolus literam occidentem? Ea certe est decalogus: qui non dicitur litera occidens eo, quod mala sit lex, sed quia prohibens peccatum augeat concupiscentiam, & addit præuaricationem, nisi liberet gratia, quæ gratia non sic abundat in lege vt in Euangelio. Vel secundum eorum carnalem intelligentiam. Lex ergo bona est, & tamen occidit sine gratia, cum sit virtus peccati, quæ iubet quod sine gratia impleri non potest. Gratia autem deerat, & ideo litera occidens erat. Distat autem Euangelij litera à legis litera, quia diuersa sunt promissa: ibi terrena, hic cœlestia promittuntur. Diuersa etiam sacramenta: quia illa tantum significabant, hæc conferunt gratiam. Præcepta etiam diuersa, quantum ad ceremonialia. Nam quantum ad moralia, sunt eadem, sed plenius in Euangelio continentur. Audistis decem chordas Psalterij vtrique sexui impositas: quæ charitate tangendæ sunt,

vt vitiorum feræ occidantur.

TITV.

*Aug. super  
Exod. 9. 71.  
in tom. 4.  
Matth. 5. d  
Quare lex  
comprimere  
dicitur non  
animum.*